

Philosophi isti fabricare non potuerunt, quam quantum aut pondus vel moles ipsius auri, de quo Spiritum axtraxerunt, ut interim taceam longum temporis spatium, difficillimam methodum, & sumtus largos, quę omnia in educendo illo auri vulgaris spiritu perpessi & experti sunt. Ut igitur generationem hanc auri hocquę artificium majori copia, faciliori modo, minoribus expensis, & sic tandem cum lucro & utilitate exercere possent, sapientes Veteres coacti aurum vulgare reliquerunt, & cum hic Spiritus, de quo hoc loco agimus, idem sit cum Spiritu generante omnium creaturarū, sitque eadem & unica generativa natura per omnia diffusa, alibi eum quærere compulsi sunt, & tandem neque labori, neque tempori nec sumptibus, in hac rerum omnium existimatione parcentes, ad unam tandem rem pervenerunt, in qua Omnes sui voti compotes effecti sunt, & adepti rem vel corpus quoddam compositum ex tam mundo vel mundiori Spiritu vel semine, quam aurum & argentum, à natura parum vel minimè elaboratum, neque ad complementum productum, in qua inesset Spiritus iste metallinus, non limitatus, non coarctatus, nec ad certam quantitatem extensus, sed adhuc intensus, exuberans, plus possidens formæ quam materiæ, ut per ignem artificiale ad intimam sui puritatem devenire & talis effici, ita diffundi, extendi & multiplicari possit, ut post complementum milles millesies fortior & perfectior sit, quam corpora naturaliter perfecta, aurum & argentum nimirum. Omnis enim res cum habeat esse à forma, & quæque res, quanto magis habet de forma, tanto magis

Hh 2

de